

## QUÆSTIO LXXV.

### DE CONVERSIONE PANIS ET VINI IN CORPUS

#### ET SANGUINEM CHRISTI.

I. In hac quæstione tractat S. Thomas de re contenta sub speciebus consecratis: et duabus quæstionibus sequentibus tractat de his quæ talem conversionem et continentiam consequuntur. Duo ergo in ista quæstione explicat. Primum est de existentia corporis Christi in hoc sacramento, et non existentia panis, per tres priores articulos, ostendens in hoc sacramento realiter esse corpus Christi, non autem substantiam panis; nec tamen panem annihilari, sed converti. Secundum est de ipsa conversione panis, ostendens quod potest converti in corpus Christi manentibus accidentibus, quia illa non convertuntur; non tamen manet forma substantialis, quia tota substantia panis convertitur: quæ conversio fit in instanti, quia fit virtute divina, cui nihil resistit. Unde hæc est vera: De pane fit corpus Christi; et de his agit per reliquos quinque articulos.

## QUÆSTIO LXXVI.

### DE MODO QUO CHRISTUS EST IN HOC SACRAMENTO.

I. Ex tam admirabili conversione duo sequuntur valde notanda. Alterum ex parte ipsius Christi, qui ponitur in hoc sacramento; alterum ex parte accidentium remanentium. Et primum tractat in hac quæstione secundum in sequenti. Quoad primum, modus quo Christus est in hoc sacramento consideratur in tribus. Primo, quia hic est totaliter, id est, solum corpus in hoc sacramento sub qualibet specie, sub qualibet particula; imo et tota illius quantitas, licet non modo extensivo, sed indivisibili; eo quod quantitas sequitur hic modum substantiæ, non substantia modum quantitatis. De hoc agit quatuor primis articulis: secundo, consequitur quod Christus non sit hic modo locali, nec ut mobilis localiter, licet per accidens moveatur ad motum specierum. Et

de hoc agit articulo quinto et sexto: tertio, consequitur quod Christus non sit hic modo visibili, nec possit videri, etiam ab oculo glorioso; quando autem apparet Christus in sacramento in specie carnis, vel pueri, non propterea desinit ibi esse corpus Christi, quia non corrumpuntur accidentia; et de hoc agit duobus ultimis articulis.

## QUÆSTIO LXXVII.

### DE ACCIDENTIBUS REMANENTIBUS IN HOC

#### SACRAMENTO.

I. De modo tenente se ex parte accidentium remanentium in hoc sacramento, duo sunt valde mirabilia. Alterum quoad esse: alterum quoad operari, seu pati. Quoad esse miraculum est, quod maneant accidentia sine subjecto, licet quantitas separata sit subjectum aliorum accidentium, et de hoc agit duobus primis articulis; quoad operari autem vel pati, agit reliquis sex articulis, ostendens quod idem faciunt vel patiuntur ista accidentia, ac si essent in subjecto. Unde possunt res alias active immutare, possunt corrumpi, possunt nutrire, et ex illis aliquid generari: possunt illæ species frangi, potest vino consecrato aliquid aliud permisceri, quæ omnia singulis articulis tractat idem S. Thomas.

## DISPUTATIO XXVIII.

### DE TRANSSUBSTANTIATIONE, ET HIS QUÆ AD ILLAM CONSEQUUNTUR.

#### ARTICULUS I.

*Stabilitur vera fides de existentia corporis Christi et conversione totius substantiæ in ipsum in hoc sacramento.*

I. Circa rem contentam in hoc sacramento tria principaliter docet fides. Primum est, post consecrationem esse in hoc sacramento vere et

realiter corpus et sanguinem Christi sub speciebus consecratis: secundum est, nihil de substantia panis et vini manere in hoc sacramento, sed sola eorum accidentia: tertium, totam substantiam panis et vini, tam quoad materiam quam quoad formam converti in corpus et sanguinem Christi; quæ conversio recte dicitur transsubstantiatio. Omnia ista definita sunt in Concilio Tridentino sess. xiv, prout inferius referemus. Et licet pro catholicis sufficiat definitio Ecclesiæ, ut res ista de fide habeatur, tamen pro theologo non sufficit simpliciter credere, sed oportet eos, qui contradicunt, arguere, et veritatem fidei declarare

et defendere. Igitur circa primum punctum de vera et reali existentia corporis Christi in hoc sacramento, præter aliquos ex primis discipulis Domini, qui ipsum de veritate hujus sacramenti disserentem audientes abierunt retro, dicentes: *Durus est hic sermo*, Joan. vi, non valentes intelligere quomodo posset Christus dare carnem suam in cibum, et sanguinem suum in potum, fuerunt alii hæretici, qui simpliciter negaverunt esse in eucharistia verum corpus et sanguinem Christi; inter quos aliqui referunt hæreticos illos antiquos, qui vel negaverunt veram carnem esse in Christo, sed solum apparentem et phantasticam, ut Manichæi, et discipuli Simonis et Menandri; vel fatebantur veram carnem, non tamen esse assumptam in Personam Verbi, et sic non esse carnem Christi, sicut Nestoriani et Ebionitæ, qui dicebant Christum esse purum hominem; qui omnes ex consequenti negabant in eucharistia esse veram carnem et sanguinem Christi. Hos tamen omittimus in præsentia, quia directe errabant in mysterio incarnationis, quo sublato cogebantur etiam errare in mysterio eucharistiæ.

II. Ex his autem hæreticis, qui confitebantur mysterium incarnationis, negaverunt autem verum corpus Christi contineri in eucharistia, sed solum ibi esse tamquam in signo, intelligentes verba Christi: *Hoc est corpus meum*, non in sensu proprio, sed metaphorico, primus qui hunc errorem (saltem publice) docuit et defendit fuit Berengarius archidiaconus Andegavensis, qui damnatus fuit in Concilio Romano sub Leone IX, et deinde specialius cognitum est de hoc errore, et damnatus est in Concilio Vercellensi sub Victore II, et ipse abjuravit errorem suum, primo in Concilio Turonensi sub eodem pontifice, et

iterum publice abjuravit eandem hæresim in alio Concilio Romano sub Nicolao II, cujus abjuratio forma habetur in capite Ego Berengarius, de consecratione dist. II. Non tamen cum Berengarii retractatione error extinctus est, sed infeliciter repullulavit diversis sæculis apud diversas sectas hæreticorum. Illum aliqui attribuunt Albigensibus contra quorum hæresim pugnavit sanctus pater Dominicus; alii attribuunt etiam Flagellantibus. Docuit illum Wicleph damnatus in Concilio Constantiensi; et tandem nostro sæculo impudentius præ omnibus suscitatus est a discipulis Lutheri; nam ipse non est ausus absolute negare præsentiam Christi in hoc sacramento, licet posuerit substantiam panis simul manere cum corpore Christi. Denique a Calvino expresse negata est hæc veritas, docendo panem et vinum solum esse signa, seu symbola corporis et sanguinis Christi; per illa tamen nobis Christum uniri, non realiter in corpus nostrum intrando, sed per fidem qua illum credimus.

III. Nihilominus ista veritas in pluribus Conciliis ab Ecclesia definita est; et præter relata Concilia, ubi error Berengarii damnatus est, extat etiam definitio ejus in Concilio Lateranensi sub Innocentio III, in capite Firmiter, de summa Trinitate; in Concilio Viennensi in clementina unica de reliquiis, et veneratione sanctorum; in Concilio Constantiensi sessione VIII, ubi damnati sunt errores Wiclephi; in Concilio Florentino in decreto pro Armenis; et in Concilio Tridentino sess. XIII. Suffragatur quoque communis Ecclesiæ traditio et acceptatio tum, in auctoritatibus sanctorum patrum, quos latissime refert Bellarminus tom. II, libr. II de eucharistia; tum etiam, in ipsa praxi Ecclesiæ, quæ perpetuo a tem-

poribus Apostolorum cultum et venerationem exhibuit eucharistiæ, sicut ipsi veræ carni et sanguini Domini. Dubitant vero aliqui, an ista veritas non solum sit de fide, sed etiam sit articulus fidei.

IV. Sed breviter respondeo, articulum fidei proprie loquendo tres requirere condiciones inter credibilia, ut sumitur ex S. Thoma 2-2, quæst. I, art. VI et VIII, scilicet dignitatem, necessitatem et difficultatem. Dignitas, quia articuli fidei sunt prima objecta credibilia in fide, ad quæ alia reduci possunt, et propter se in fide requiruntur, sicut est mysterium Trinitatis et divinitatis, et mysterium incarnationis: necessitas, quia omnes tenentur scire articulos de necessitate salutis: difficultas, quia ideo distinguuntur articuli, quia invenitur specialis ratio et difficultas in credendo, et assentiendo uni, quam alteri. Dicimus ergo, quod in ista veritate credendi mysterium eucharistiæ concurrent duæ condiciones ad articulum requisitæ, scilicet necessitas ex parte nostri, et difficultas ex parte mysterii. Nam tenentur omnes scire hoc mysterium; tum, quia tenentur sumere eucharistiam cum ad annos discretionis pervenerint; tum, quia tenentur assistere sacrificio, et adorare sacramentum. Est etiam specialis difficultas in hac veritate intelligenda et credenda, quia valde excedit omnem vim naturalem, ita ut specialiter appelletur mysterium fidei; unde quantum ad istas duas condiciones bene potest dici articulus fidei; sed tamen simpliciter non est articulus, quia deest prima conditio, quia non est ex primis mysteriis, qualia sunt mysterium Trinitatis et incarnationis; et ideo hæc veritas non est expresse numerata in quatuordecim articulis divinitatis; sed ut mysterium consecutum ad incarnationem, et reducibile ad illos

priores articulos. Et aliqui reducunt hanc veritatem ad articulum de remissione peccatorum, quia ordinatur hoc sacramentum ad remittenda peccata, saltem, venialia, sed verius S. Thomas loco citato reducit hanc veritatem ad duplicem articulum, scilicet ad omnipotentiam creatoris, quatenus hic miraculose continetur corpus Christi, et ad articulum salvatoris sanctificantis nos per gratiam, quatenus eucharistia est maximum et præcipuum sacramentum in genere sanctificandi.

V. Restat vero indicare, unde sumatur efficax argumentum contra hæreticos, ad probandum in hoc sacramento esse corpus Christi, non solum ut in signo, sed in veritate. Respondeo ex verbis Christi deduci, tum in cœna quando consecravit panem dicendo: *Hoc est corpus meum*; tum ex illa disputatione, quam habuit cum Judæis Joan. VI, quando aperte dixit, carnem suam esse vere cibum, et sanguinem vere esse potum. Secundo, ex intelligentia quam verba ista intellecta sunt in sensu proprio, et non metaphorico; tum ibi a Judæis audientibus Christum; tum postea a tota Ecclesia sic intelligente verba Christi; tum, quia non decebat Christum Dominum in re tam gravi et seria non declarare sensum proprium, in quo loquebatur, sed sub metaphora rem tantam relinquere; præsertim cum non potuerit magis propriis et planis verbis uti Christus ad exprimendum proprium sensum, quam istis. Tertio denique ab effectibus, qui ex hoc sacramento consecuti sunt, scilicet adoratio ipsius et cultus idem omnino qui exhibetur ipsi personæ Christi; et e contra iudicium et condemnatio indigne susipientium, tamquam male tractantium corpus Domini.

VI. Et quidem non negamus in Scriptura accipi verba metaphorice,

et in sensu improprio, ut quando Deus dicitur ignis consumens, dicitur Deus dolere, et pœnitentia affici, dicitur quod Joannes est Elias, et alia his similia, quæ metaphoricè accipienda sunt; sed tamen negamus in præsentī Scripturam uti metaphoricè locutione, sed propria, sicut definit Concilium Tridentinum sess. XIII, capite primo, et communiter intellexerunt doctores sacri; licet Cajetanus articulo primo hujus quæstionis LXXV, dixerit illa verba: *Hoc est corpus meum*, seclusa Ecclesiæ auctoritate non sufficere ad confirmandam hanc veritatem, quod tamen jussu Pii V expunctum est. Sed et ipse Cajetanus super caput XXVI Matthæi, expresse dicit omnes hæreses excludi per hæc verba: *Hoc est corpus meum*, secundum proprietatem sermonis intellecta. At si verbis propriis, si proprietate sermonis non habetur veritas fidei, ruit tota fides Trinitatis, ruit certitudo sacræ Scripturæ; quibus verbis aperte Cajetanus testatur hæc verba sufficienter confirmare hanc veritatem, si quidem alias rueret tota certitudo Scripturæ; licet verum sit in omni Scripturæ sensu opus esse Ecclesiæ auctoritate sic intelligentis, sine qua nec ipsius Scripturæ auctoritas nobis constare potest.

VII. Cum ergo in præsentī materia Scriptura dicit, hoc esse corpus Christi, hæreticus intelligit metaphoricè et improprie, vel quia intelligit esse signum corporis Christi, vel quia vult non esse dicta de illo pane, sed de se ipso, nec acquiescit Ecclesiæ intelligenti illa verba proprie, et sine metaphora, ideo oportet recurrere ad circumstantias, ad modum loquendi, ad finem propter quem dicebantur illa verba, ad seipsum in quo intellecta sunt ab audientibus, ut inde constet nullum metaphoræ locum relinqui, nisi fictitiæ. Oportet autem in Scriptura

non omnia verba intelligere metaphoricè, sed multa dicta sunt in proprio sensu, præsertim quæ dicta sunt tamquam communia dogmata fidei, et quæ ab omnibus sciri debent; et præsertim illa quæ in illa ultima cœna Christus locutus est Apostolis, sicut ipsi dixerunt Joan. XVI: *Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis*. Formatur ergo argumentum sic: Christus Dominus instituebat tunc aliquid perpetuo faciendum, et celebrandum publice in Ecclesia, quod ab omnibus sciri et cognosci debebat, et de quo præceptum posuit Apostolis et successoribus: *Ut hoc facerent in suam commemorationem*; ibique testamentum suum condebat, sicut ipse dixit: *Hoc novum testamentum est in meo sanguine*: ergo debuit uti propriis verbis, et non obscuris et metaphoricis. Patet consequentia, quia id quod tunc tradebat Christus erat in re et de facto celebrandum, et faciendum erat præceptum illud, quod implendum imponebat dicendo: *Hoc facite*. Erat testamentum illud exequendum, erat res illa publice et communiter ab omnibus cognoscenda; si autem metaphoricè et improprie loqueretur, nihil horum poterat fieri de facto, quousque intelligeretur proprie id quod in isto dixerat obscure, et sub metaphora: si alibi, assignetur locus ubi Christus Dominus clarioribus verbis expresserit se loqui de signo corporis sui, et non de veritate; si non alibi explicavit, et sic sub metaphora reliquit, unde debet nobis constare, quid est illud quod in re, et de facto Christus faciendum præcepit, et credendum proposuit, neque enim in re, et de facto potest aliquid fieri et observari, et credi determinate sub metaphora et dubio. Dicere autem, quod nihil certi nobis Christus reliquit in re tam gravi, et prædictas circumstantias habente,

est adeo absurdum, ut nec ipsi hæretici id possunt admittere. Quod si aliquando Scriptura ea quæ ad Deum pertinent sub aliqua metaphora tradit, ideo est, quia aliis locis aperte et sive metaphora rem explicat; ut quia dicit: *Deum esse spiritum*, et summum creatorem omnium, colligitur quod non potest dici ignis nisi metaphoricè; quia dicit Deum esse immutabilem, colligitur quod non potest pœnitere, nec dolere nisi metaphoricè; quia dicit Joannem venturum esse in virtute et spiritu Eliæ, colligitur quod non est in persona Eliæ. At vero de hoc sacramento nullibi dicit Scriptura quod sit solum signum corporis Christi, vel quod illud non contineat, dicit autem in istis locis citatis, quod est corpus suum et caro sua: ergo nullum est fundamentum ad intelligendum hoc esse dictum in sensu improprio.

VIII. Secundo, deducitur sensus proprius verborum Christi ex ipsa intelligentia eorum, qui audierunt, et ex Ecclesia sic accipiente ab Apostolis; nam Judæi audientes Christum dicentem, quod caro sua esset cibus, et sanguis potus: *Litigabant ad invicem, dicentes: Quomodo potest hic dare nobis carnem suam ad manducandum*, Joan. VI, et ne putaremus hoc dicere ex invidia, vel inimicitia erga Christum, aliqui etiam ex discipulis Christi dubitaverunt, dicentes: *Durus est hic sermo*, Joan. VI. Sed difficultas ista non potuit nasci ex prædictis verbis nisi loqueretur in sensu proprio, et non de metaphoricò: ergo, etc. Minor probatur, quia tota illa difficultas et dubitatio non poterat esse, si solum ille panis esset signum corporis Christi, aut solum loqueretur de fide credendi in ipsum. Nam illi discipuli sequebantur eum tamquam Christum; ergo non poterat illis esse durum, si solum vellet dicere, quod

crederent in eum, aut quod sumerent aliquod signum repræsentativum illius; ergo si solum in hoc sensu loqueretur Christus, gratis litigabant et dubitabant; ergo id quod difficultatem ingerebat, erat quod Christus intelligebatur loqui in sensu proprio de sumptione corporis et sanguinis sui.

IX. Dices: Illi non dubitabant, nec suspicabantur aliquid de invisibili et sacramentali continentia corporis Christi in hoc sacramento, sed de sumptione corporis Christi in propria specie, intelligentes Christum daturum carnem suam, sicut comeduntur carnes animalium, sicut Augustinus super illum locum dicit; ergo impertinenter se habet ista dubitatio ad intelligendum quod Christus loquebatur in sensu proprio de veritate ipsius sacramenti. Unde Dominus respondens eorum dubitationi, nihil de veritate sacramenti dixit: *Hoc, inquit, vos scandalizat? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius? Spiritus est qui vivificat; caro non potest quidquam*. Si ergo Christus Dominus correxit illorum dubitationem dicendo, quod caro nihil prodest, et quod ipsum non deberent comedere vere et realiter, quia visuri erant eum ascendere in cœlum; manifeste explicavit se locutum fuisse parabolice, et non esse sumptuos ipsum proprie, sed per fidem. Cui expositioni favet Augustinus reprehendendo intelligentiam eorum, qui putabant dentibus Christum comesturos, et non solum fide: « Ut quid inquit, paras dentem et ventrem? Crede, et manducasti? » Ut omittam plures esse ex catholicis, qui probabiliter censent Christum Dominum in his verbis Joannis sexti non esse locutum de sacramento corporis sui, ut Gabriel, Cajetanus, Jansenius, Joannes a Lovanio, et alii, qui putant Christum loqui ibi de spirituali